





10.  
8.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.





I. N. S. & I. T. 175.  
*17*  
*1650, 3.*  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
FIDEIUSSORIBUS,  
EORUMQUE BE-  
NEFICIIS.

*Quam*  
Divina favente Clementia *Disp. 1.*

PRAESIDENTE

VIRO

AMPLISSIMO CONSULTISSIMO ET EX-  
CELLENTISSIMO,

DN. GREGORIO BICCIO, U. J. D.  
LONGE CELEBERRIMO, AC IN FLOREN-  
tissima Argentoratensium Universitate Pandectarum Pro-  
fessore gravissimo meritissimoque, Praeceptore & Hospite suo  
omni ob servantiae cultu aetatem prosequendo,

Publici Exercitij gratia,

*Placida commilitonum disquisitioni submittit*

JACOBUS WEVITZER, STRALSUNDA POMERANUS.

*In Auditorio Ictorum*

Ad diem 6. Martij.

OS: (O): SO

ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. L.





241  
**MAGNIFICENTIA, NOBILITATE,**  
**MVNERIS AMPLITVDINE, VIRTUTE,**  
**RERVMOVE VSV EXCELLENTISSIMVM**  
**PRAECLARISSIMVMQVE**  
**VIRUM,**

**DN. ANDREAM Guldenslouh/**  
 in Schönela & Eckeby Hæreditarium, ac S. R. M.  
 Coronæq; Sueciciæ Secretarium status Intimum,  
 Fidissimum, Mæcenatem & Promotorem suum  
 Magnum, ob varia ac præclara in suos collata be-  
 neficia, debitæ gratitudinis testandæ ergò, harum  
 de fidejussoribus Thesium dedicatione, ex Aca-  
 demia Argentoratensium florentissima, humilli-  
 mènè veneratur, ejusque Magnificentia vitam lon-  
 gævam ac prosperam, Regni Sueciciæ, & mul-  
 torum aliorum saluti profuturam,  
 devotè adprecatur.

**JACOBUS WEVITZER,**  
*Stralsundâ Pomeranus.*

in l.  
 à d.  
 sent  
 teria  
 thet  
 Nov  
 nisi  
 Dec  
 Præ  
 Chr  
 cati  
 tiu  
 Tu  
 ann  
 S





F. N. S. & I. T.

PRAEFATIO.



Um ea praesertim in jure Civili discutienda veniant, non quae raro ac infrequenter contingunt, sed quae cotidiana sunt, monente *Jcto Paulo* in l. legavi. 25. ff. de liberat. legat. Proinde nos à d. l. scopo haud multum aberrabimus, si in praesentiarum, de crebra ac usitata *Fidejussorum* materia per paucis sermonem habuerimus, eamque syntheticè breviter adornaverimus: Cum verò, per *Novellam 6.* nihil benè & competenter geratur, nisi principium cujusque rei fiat decens & amabile Deo, igitur, juxta l. 2. in pr. C. de offic. Praef. Praetor. Afric. in Nomine Domini nostri *Jesu Christi*, ad praefata *Fidejussorum* materiae explanationem, eorumque in jure hinc inde occurrentium beneficiorum descriptionem, progredimur: Tu summe *Jehova!* Da facilem cursum, & caeptis annue nostris!

THESIS I.

Sed cum omnis res, de qua tractatio aliqua suscipitur, meritò à definitione initium capere debeat,

A 2

debeat,



Definitio  
Fidejusso-  
ris.

debeat, ut eò meliùs intelligatur quid sit illud, de quo quis disputare sibi in animum induxit, (a) ideò Fidejussorem (b) dicimus illum, qui solemnè stipulatione interpositâ, (c) alterius obligationi eum in finem accedit, (d) ut id, quod in obligationem deductum est, tutiùs Creditori debeatur, (e) Principali nihilominùs durante obligato. (f)

(a) Secundùm Ciceronem *lib. 1. de officiis.*

(b) Propriè & strictè sic sumptum. *l. 5. §. 2. ff. de verbor. oblig. Wesenbec. in parat. ff. de fidejussor. & mandat. n. 2. Ampissimus Dn. Præses in Aureis jur. Civ. sectione 4. th. 67. qui dictus est à fide & iussione. Hering. in tractat. de fidejuss. c. 2. n. 11. quasi fide suâ quid esse iubeat. & credi debitori. l. 75. §. 6. ff. de V. O. hicque modus fidejussorem constituendi, per antiquus habetur, quod testantur SS. literæ in Geneleos cap. 43. v. 9. 2. Maccab. cap. 12. vers. 25. & in epist. D. Pauli ad Philemon. vers. 19.*

(c) nam sinè eâ non obligatur. *l. 2. §. 2. si quis ff. de V. O. l. 33. §. 3. ibi: quas tamen stipulationes solennis cautela vallaverit. C. de Episcop. & Cleric. Costal. in l. 7. ff. de pact. Rittersh. ad Novell. 4. n. 10. in fin. quæ etiam in re dubiâ semper solenniter intervenisse arguitur, modo quis scripserit se fidejussisse, juxta l. 30. ff. de V. O. facit textus in l. 7. §. 12. ff. de pact. Excipitur tamen casus singularis, quo fidejussores sinè stipulatione obligantur, scil. in causa pupillari, ubi si præsentés fuerint, & non contradixerint, nominaq; sua in acta publica referri passi sint, æquum est, perinde eos teneri, atque si jure legitimo stipulatio interposita fuisset. per l. 4. §. 3. fidejussores ff. de fidejussor. tutorum.*

(d) *l. 43. in omnibus speciebus. ff. de solut. cum per rerum naturam fieri non possit, ut quis pro se ipso fidejubeat. l. 21. §. Servo. 2. ff. de fidejuss. & in ind. etenim qui alieno & non proprio nomine obligatur, fidejussor vocatur in l. 1. §. sed aut proprio 8. ff. de obligat. & act. non tamen ex alieno; sed ex proprio suo facto, suâque conventionè & consensu.*

(e) *pr. l. h. r. quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, ut cum debitor facultatibus fuerit lapsus, ab ijs, quos pro eo obligatos tenet, suum consequi possit. §. ult. in fin. l. de replicat. interest itaque Creditoris plures habere reos. l. 3. §. utrique autem 5. in fin. ff. de liberat. legat.* (f) arg.



(f) arg. l. 5. C. de fidej. Treutler, volum. 2. disput. 28. thes. 1. lit. e.

THESIS II.

In largâ seu latâ significatione Fidejussor etiam omnis is dicitur, qui alterius obligationem quoquo modo in se recipit, & fide periculoque suo esse jubet, (a) qualis est 1. Intercessor (b) 2. Sponsor (c) 3. Mandator (d) 4. Adpromissor (e) 5. Expromissor (f) 6. Constitutor: (g) Inter quos & 7. Obses referri porest. (h)

Fidejussor late sumtus quis dicatur;

(a) arg. l. 30. §. 1. ff. de pactis.

(b) per l. 1. in pr. & passim ff. & C. ad SCrum Vellej. l. 23. princ. ff. de heredit. vel action. vend. l. 5. C. si cert. pet ar. & l. 24. C. de fidejussor. & mandat. facit Novella 4. c. 1. ibi: neque negligens debitoris intercessoribus molestus sit.

(c) Hic à Fidejussore non in eo discrepat, quod Sponsor sponte, fidejussor autem non nisi rogatus fidejubeat, prout Wesenbecius in parat. ff. de sponsalibus n. 2. existimat, & Schneidvv. ad rubr. l. de fidej. n. 7. & 8. hanc formulam, Weil ich dann auff sein fleissiges bitten vnd ansuchen / mich von seiner wegen in Bürgschafft eingelassen / ex prædictâ Sponsoris, ultrò fidejubentis, & fidejussoris, non nisi rogati intercedentis, differentiâ, ortam, libelloque inferi consueville, asserit. Hæc enim Doctorum traditio erroribus planè est involuta, teste Rittershufio ad Novell. 4. n. 8. & 13. in fin. ut & Hilligero in Donell. lib. 15. cap. 48. lit. B. nam fidejussor Principali debitore etiam ignorante, & sic non rogatus obligationi rectè accedere valet, quemadmodum aperte constat ex l. 5. in prin. ff. de negotijs gestis. & l. 30 ff. de fidejussor. Est itaque omnis fidejussor quidem Sponsor, sed non contrà, cum sponsio tam ad stipulationem, quam ad pactum, pollicitationem aliosque contractus, qui consensu & re perficiuntur, referatur. l. 7. §. 12. ff. de pactis Consulsis. & Excell. Dn. Præses, in Rebus quotidian. Sect. 4. th. 68. Fidejussio autem sola stipulatione perficiatur.

(d) qui regulariter obligationem præcedit. l. 12. §. 14. & l. 20. §. 1. ff. mandat. dum futuro creditori in mandatis dat, ut pecuniam suo nomi.



nomine, huic vel illi credat, daß er diesen oder jenem auff sich leihe / aut aliud negotium cum eo gerat, citrà vinculum tamen stipulationis, sed nudo duntaxat consensu. *l. 1. l. de obligat. qua ex consens.* hicque nihilominus non secus tenetur, quàm accessor, quasi expressè per stipulationem fidejussisset. Econtrà autem fidejussor & præcedere & sequi eam potest. *§. 3. l. 4. l. 6. in pr. & §. 2. ff. de fidejuss. confestim, vel interjecto tempore, per l. 52. §. 2. fidejussores. ff. d. t.* ita tamen ut non prius pariat obligationem, antequam Reus debeat, vel conveniri possit. *juxta l. 57. ff. eod.*

(e) hic secundum sententiam Gæddæi *ad l. 150. ff. de verb. sign. n. 2. & 3.* non rectè pro indemnitate Promissore sumitur, quam strictam acceptionem respuit ipsa *lex §. 5. satis acceptio. 2. ff. de verb. oblig. quo & facit lex 43. ff. de solut.* nam non solus indemnitate fidejussor, satisfacere dicitur, sed quoque & quidem multò magis & arctius alius quivis fidejussor.

(f) Hic Principalem debitorem suâ obligatione prorsus liberat seque in ejus locum reponit. Hyppolitus de Marsilijs *in tract. de fidejuss. n. 4. in fin.* & sic non accessoriè sed principaliter obligatur *arg. l. 53. ff. de contrahen. empt. l. 37. §. fin. ff. de Oper. libert. Schneidvv. ad Rubr. l. h. t. de fidej. n. 10. Amplifs. Dn. Præses in Rebus quotid. sect. 4. th. 70.* quod non est in fidejussore, nam hic ita obligatur, ut & Reus Principalis pro quo fidejubet, permaneat obligatus, *l. jure nostro. §. C. h. t. de hoc genere fidejussorum loquitur etiam l. 7. §. 8. ff. de dol. malo.*

(g) Qui per nudum pactum, vel epistolam, & sic absens se firmiter obligare *l. 5. §. 3. l. 26. ff. de constit. pecun. ac exindè efficaciter conveniri potest. Welenb. in parat. ff. de pecun. const. n. 4.* fidejussor verò non nisi inter præsentem obligetur *l. 1. §. 1. ff. de verb. oblig.*

(h) Quam vocem belli Duces loco fidejussoris usurpant, dantur hi eum in finem, ut accipiens de fide servandâ securus reddatur Sic Franciscus Galliarum Rex Filios Franciscum & Henricum obsides Carolo V. Romanorum Imperatori in Hispania reliquit. Sleidanus *lib. 6.*

### THESIS III.

Verumtamen cum hic Fidejussionis Contractus valdè periculosus, spondentiq; sæpissimè damno existat, ac crebrò opulentissimos etiam, ad



ad egestatem redigat, secundum illud germanicum, Viel borgen vnd leihen/ ist eine vergiftung  
 deines Erbtheils / vnd hat ein Stieffmutter / die  
 heist Verkauf deine Güter / die gebähret dir eine  
 Tochter / die heist gib sie wolfeil / die hat einen  
 Bruder / der heist zum Thor hinaus/ (a) adhæc  
 Proverbium quoque doceat: Comitum sponsio-  
 nis esse miseriam, (b) ea propter non immerito,  
 Universi fidem suam pro alijs interponere volen-  
 tes, in insensibus repositum tenent id, quod Ay-  
 mo Cravetta *resp.* i. n. 127. refert, scilicet: Utere  
 quæsitis modicè, dum sumptus abundat. Labitur  
 exiguo quod partum est tempore longo. Et qui-  
 dem hâc imprimis exulceratissimâ ætate, quâ tu-  
 multuum, rixarum, controversiarum, litium ac  
 discordiarum plena sunt omnia, adeò ut verè (c)  
 exclamare possimus, Heu! quam seculo premi-  
 mur gravi, quo scelera regnant! Itaque injure  
 nostro Civili prudenter ac optimè à vetustis Juris  
 Conditoribus, sancitum legimus, Ne omnes &  
 singuli, absque ullo prorsus discrimine, ad hanc  
 accessoriam obligationem admitterentur, sed  
 quidam ab eadem, quorum utilitati, ademptâ  
 intercedendi potestate, leges consulere volue-  
 runt (d) arcerentur: de quibus, ad eam aptis &  
 minimè aptis, in proximè subsequentibus prio-  
 ribus



847  
ribus duabus Thesisibus nunc breviter dicendum erit.

(a) referente Heringio in pereleganti & absoluto suo tractatu de fidejussor. cap. 15. n. 13.

(b) Quò & Sapientissimus Rex Salomon, homines ab inconsultâ fidejubendi facilitate deterrere volens, in proverbij suis capite præsertim 20. vers. 16 respexit, sic ajens, Nimb dem sein Kleyd/ der für einen andern Bürge wird/ vnd pfände ihn vmb des vnbetanten willen. Item cap. 22. vers. 26. 27. Sey nicht bey denen/ die ihre Hand verhäfften/ vnd für schuld Bürge werden/ denn wo du es nicht hast zu bezahlen/ so wird man dir dein Bette vnter dir wegnehmen/ videatur Reverendus admodum, Præclarissimus, & Excellentissimus Dn. Balthasar Rhavv Superintendens Ecclesiarum Stralsundens. longè vigilantissimus, Dignissimusque, in perquàm doctissimo suo tractatu, qui inscribitur, Regiment der Christlichen vngesärbereten liebe des Nächsten 2c. c. 5. quæst. 1. n. 273. & seqq.

(c) cum Seneca in Octav.

(d) Welsenbec. in parat. ff. h. t. n. 3.

#### THESIS IV.

Quinam  
ad hunc  
Contractū  
admittan-  
tur.

Ad hunc contractum fidejussorium constituendum admittuntur omnes hi, qui non jure prohibentur, (a) sed jus stipulanda habent (b) quales sunt 1. Pater pro filio, (c) 2. Filius pro patre (d) 3. Consanguinei invicem. (e) 4. Unus pro duobus Reis (f) 5. Plures fidejussores pro uno debitore (g) 6. Relegati (h) & plures alij.

(a) arg. l. 43. §. 1. ff. de procurat. & arg. l. 28. §. 2. ex quibus causis major.

(b) Treutlerus vol. 2. disput. 28. th. 2. in pr. Ludvvell in disput. ad Inst. Instin. 12. th. 6. lit. g.

(c) tùm enim patrem ex eâ obligatione teneri, explorati juris est, per l. 8. C. quod cum eo qui in alien. potest.

(d) de quo nulla dubitatio est, nec erit sine effectu talis fidejussio, aut cum hoc moderamine, ut peculiotenus tantum procedat, nam alias non rectè fidejubet l. 3. l. 10. §. 1. ff. & l. 8. C. de fidejussor.

(e) arg.



(e) *arg. l. 2. §. 2. & 3. ff. qui satisd. cogant.*

(f) Eum enim qui pro me fidejussit, posse & pro Titio fidejussere respondit Africanus *in l. 21. §. 4. ff. h. t.*

(g) *§. 4. l. 1. §1. in pr. ff. eod.*

(h) non enim Relegatis Civitas adimitur, sed eam retinent, *juxta l. 4. & 14. ff. de interd. & Relegat.*

THESIS V.

Quibusdam Personis communiter interdicta est intercessio, veluti 1. Mulieribus (a) 2. Infantibus (b) 3. Pupillis (c) 4. Minorennibus (d) 5. Furiosis (e) 6. Mutis (f) 7. Surdis (g) 8. Prodigis (h) 9. Militibus (i) 10. Clericis (k) 11. Deportatis (l) 12. Servis (m) aliisque ejusdem farinae hominibus.

*Quinam ab ea excludantur.*

(a) Propter celebre illud & famigeratissimum SCtum Vellejanum, *t. t. D. & C. ad SCtum Vellej. l. 3.* ibi: vel mulierem quæ auxilio SCti utitur. *ff. de fidejuss. idque tam in foro soli, quam in foro poli. 1. Petr. c. 2. vers. 13.* obtinet, v. Gæddæum *in tract. de contrah. & contr. stip. cap. 7. n. 289.* nam sicuti moribus civilia officia fœminis sunt adempta, & pleraque ipso jure non valent, ita multò magis adimendum eis fuit hoc officium, in quo non sola opera, nudumque ministerium earum versatur, sed etiam periculum rei familiaris, textus est *in l. 1. §. 1. ff. ad SCrum Vellej.* Sin verò huic beneficio SCti Vellej. mulieres expressè renunciaverint, intercedere minimè gentium prohibentur. *Costal. in l. 17. ff. ad SCtum Vellej.* Sichard. *ad Rubr. C. de fidej. n. 6.* cum provisio hominis tollat provisionem legis, *arg. l. fin. C. de pact. & quivis licentiam habeat, his quæ pro se inducta sunt, renunciare. l. § 1. C. de Episc. & Cleric.* de quo beneficio tamen à Notario antè renunciationem, quam sufficientissimè informari ac certiorari debent, quod & quale illud, quàmnamque prærogativâ suffultum sit, nam propter sexus infirmitatem, jus illis ignorare licitum est. *l. 9. in pr. ff. de jur. & fact. ignorant.* Notarij verò hoc casu juris peritiam habere, & ea intelligere debent, quæ ad Notariatus officium requiruntur, aliàs læsæ parti tenentur, teste Gail *lib. 2. Observ. 77. n. 7.* Ast renunciatione hâc legitimè peractâ, à beneficio postea in totum removentur. *arg. l. 31 & l. fin. si mulier. §. 4. ff. ad SCrum Vellej.* præsertim si juramentum intervenerit, quod ro-

B

bur





257  
bur & firmitudinem contractui addit, iudicijque instar est, *secund. l. 26. §. 2. in fin. ff. de iurejur.* nam quod semel repudiatum, vix redintegrari conceditur, *l. ult. circa fin. C. de condit. insert.* & satis absurdum haberetur redire ad hoc, cui quis renunciandum putavit, *l. 1. C. de Reb. credit.* An verò talis renunciatio judicialis vel extrajudicialis esse debeat, de eo non exigua est inter LL. Dd. dissentientium turba, Costalius in *l. fin. ff. ad Sctum Vellej.* hujus est opinionis, renunciationem hanc non esse extrajudicialem, propter text. *l. fin. §. 4. si mulier pro eo. penult. ibi: cavere debebit, exceptione se non usuram, & sic ad Judicem ire. ff. ad Sctum Vellej.* quam sententiam & Wesenb. approbat in *parat. ff. ad Sctum Vellej. n. ult.* Verùm consuetudine, tanquam alterâ lege, in hoc, à jure civili discedente, introductum est, ut & hodiè, renunciatio hæc extrajudicialiter prædicto modo facta, valeat, quam, ceu usu frequentiore opinionem, quoque fovent Treutl. *vol. 2. disp. 28. th. 2. lit. b. & Ludvvel disp. Inff. 12. th. 6. lit. h.* aliàs mulieres suo nomine contrahendo, maximè obligantur, uti videre est in *l. 2. & 4. C. ad Sctum Vellej.* valet etiam mulierum intercessio, si post biennium effluxum, testibus præsentibus fidejussionem priorem ratam habeant, & adhuc fidejussoris personam agere perseverent, tum enim quod ex consequentiâ suæ fragilitatis, in secundam jacturam incidunt, omninò sibi præjudicant, textus rotundus est in *l. 22. si mulier perfecta. C. ad Sctum Vellej.* Wesenb. in *parat. ff. ad Sctum Vellej. d. n. Sichard. in Rubr. C. de fid. n. 7.*

(b) *l. 1. in pr. ff. de V. O.*

(c) Scilicet sine tutorum suorum auctoritate, *pr. & §. 1. I. de auctor. tut. §. 9. I. de inutil. stipul. l. 141. §. 2. ff. de V. O. arg. l. 25. de fidejuss. l. 9. §. 5. de rebus cred. l. 9. de auctor. tutor. arg. l. 9. de adquir. vel amitt. hered. l. ult. rem pup. vel adol. salv.*

(d) hoc ipsis cum pupillis commune est, ut intercedere nequeant *arg. l. 2. ff. de R. I.* si enim læsi fuerint, gaudent beneficio restitutionis in integrum, per expressum textum in *l. 7. §. 3. ff. de minor. quæ tamen restitutio cum causæ cognitione perficienda est. l. 13. in pr. ff. de minor. aliàs si sint compotes mentis, ex stipulatu obligantur. l. 43. ff. de O. & Act. l. 101. de V. O.* Treutl. *vol. 2. disp. 28. th. 2. lit. a.* Minorenes quoque tum se obligant, caduntque suis beneficijs, quando adversarium dolo circumvenerunt, *per l. 2. C. si minor se major. dix.* nam errantibus tantùm. non etiam fallentibus minoribus, publica jura subveniunt, *d. l. 2. C. si minor se major. dix.*

(e) Hi nullum negotium gerere possunt, quia non intelligunt quod



quod agunt. §. 8. I. de inutilibus stip. nihilque in ijs est iudicij, & mente  
plane carent, unde per omnia, ac in omnibus, loco absentium & dor-  
mientium habentur l. 124. de R. I. l. 2. §. 3. ff. de Iure Codicill. l. 4. ff. de  
divortijs. cui non absurde æquiparantur & hi, qui nimia ebrietate sunt  
obrutii, nam cum neque in his ullum vitæ gerendæ rectum consi-  
lium, neque ulla gestorum memoria esse dicatur, atque hodierno secu-  
lo propter tales indiscretas sepius, auß/ beyn guren rausch / gemachtter  
Brüderschaft / interpositas fideiussiones, quamplurimæ existant lites,  
Ventura de Valent. in Parthen. litig. lib. I. c. 13. n. 35. itaque merito ta-  
les à fideiussionis contractu rejiciuntur, Præsertim si ebrii vinum edor-  
mierint, & perseverantia non apparuerit, iudicium animi fuisse, cum  
fidem suam obligationi interponerent, arg. l. 48. quicquid in calore. ff.  
de R. I.

(f) Hunc ad Obligationem verborum nihil pertinere, natura  
manifestum est l. 1. §. penult. ff. de Obl. & Act. l. 1. pr. ff. de V. O.

(g) §. 7. I. de Inut. stipulat.

(h) Cum enim hi, neque tempus, neque finem expensarum ha-  
beant, sed bona sua dilacerando & dissipando profundant, ided non  
immerito illis eorum administratio interdicta est. l. 1. pr. ff. de curator.  
furios. §. 3. I. quibus non est perm. fac.

(i) Ratio hæc militat, ne quæsito forensium negotiorum colo-  
re, à militiâ avocentur, arg. l. 31. C. de locato conducto quod & de ho-  
dierni temporis militibus affirmandum est, cum hi non minus pro aris  
& focis pugnent, patriamque defendant, ac vitam pro ea in mortis  
periculum supponant, quàm prioris seculi milites fecere, Treutlerus  
vol. 2. Disp. 10. th. 6. lit. b. Sichardus in l. 5. C. de condict. ob caus. dat. n. 2.

(k) arg. Novell. 123. c. 6. Unde tritum illud veriverbium pro-  
gnatum, Wo Landesknechte sieden und braten/ Pfaffen in Weltlichen  
Händeln rathen/ die Weiber führen das Regiment/ da nimbt es selten  
ein gurend/ Et quidem rectè, quia Clerici mysterij divini, non autem  
secularium rerum gnari censentur, illisque opprobrium est, si se peri-  
tos esse velint disceptationum forensium, juxta l. 23. C. de testam. Hinc  
est quod si quis obligatus Clericum produceret fideiussorem, adverfa-  
rius eum licitè rejicere posset. Schneidvv. ad §. fin. I. de fidejuss. Credi-  
tore tamen volente nihil obstat, quo minus obligetur. Hyppolitus de  
Marfil. de fidej. n. 309. & 310.

(l) arg. l. 47. pr. ff. de fidej. & l. 14. §. 1. ff. de novat. cum enim in  
Deportatis tota obligatio extincta sit, aded ut neq. naturaliter, neque  
civi-

l. 26.  
grari  
nabe-  
redit,  
beat,  
talius  
hanc  
enult.  
re. ff.  
ff. ad  
hoc,  
o hæc  
quen-  
. b. &  
aher-  
Vellej,  
stibus  
ejusso-  
iã suæ  
icant,  
esenb.  
  
de au-  
dejuss.  
amitt:  
  
re ne-  
o resti-  
r. quæ  
pr. ff.  
3. ff. de  
ennes  
verfa-  
am er-  
a sub-  
  
ligunt  
quod





501  
civiliter amplius teneantur, d. l. 47. h. t. civiliterque mortui censeantur, arg. l. 7. §. fin. ff. de cap. min. Idem nec consequenter ad fidejuben- dum admittendi, quibus & hodie Banniti die Nechter / per omnia ex æ- quati sunt, prout demonstrat Gail. lib. 2. de Pace Publ. c. primo n. 24.

(m) Si extrà peculij causam, vel rem domini intervenerint, nam- tum omnimodò inefficax est eorum expromissio. l. 3. §. 5. ff. de peculio, l. 3. l. 19. ff. h. t. l. 13. ff. si quis caution. Si verò in rem peculiarem pro alio intervenerint, omninò obligantur, utputa, si quod debet Titius, servus expromittat, cui ipse ex causâ peculiari obligatus, eoque nomi- ne dominus tenetur de peculio, liberaturque Titius, casus specialis in- l. 30. ff. de pactis.

#### THESIS VI.

*Materia  
seu quibus  
contracti-  
bus fide-  
jussores ac-  
cedere pos-  
sunt in ci-  
vilibus  
causis.*

An verò Fidejussores omnibus Obligationi- bus indifferenter accedere possint, haud sicco prætereundum est pede, Nos Doctorum vestigia prementes, ita quoad Civiles causas distinguimus, Eos in omnibus omninò Obligationibus quali- tercumque contractis (a) locum obtinere, modò  
1. ijs non accedant, quæ jure reprobantur. (b)  
2. Neque contractibus minimè legibus approba- tis se immisceant. (c) 3. Nec pro dote conservan- dâ sint recepti. (d) 4. Nec in Populari actione ad- missi. (e) 5. Nec Contractui impossibili adhi- biti. (f)

(a) Sivè simplicibus sivè mixtis, l. 2. l. 25. ff. h. t. sive Principali- bus sivè accessorijs. l. 8. §. ult. l. 27. §. 1. & ult. ff. eod. sivè contractis sivè contrahendis, §. fidejussor & precedere. l. de fidejuss. sivè naturalibus sivè civilibus. l. 16. §. 3. ff. de fidejuss. & mand. Omnium enim Obligationum fidejussorem accipi posse, nemini dubium est, §. 1. l. h. t. l. 8. §. 6. ff. eod.

(b) qualis non est obligatio naturalis, propriè sic dicta, quæ fundamentum habet ex æquitate naturali, & destituitur confirmatio- ne Juris Civilis, adeoque actionem producere non potest, nam huic  
quin



quin fidejussor accedere possit, non est ambigendum. §. 1. l. de fidejuss. l. 6. §. 2. l. 8. §. 3. ff. eod. tit. l. 1. §. 2. ff. de V. O. l. 10. & l. 59. ff. de O. & A. Obligationi vero civili tantum fidejussor non accedit. l. 47. ff. de cond. indebit. propter defectum æquitatis naturalis, qui impedit, ut quamvis actio inde producat, ea tamen exceptione repelli possit, ne omnino condemnatio Reo inferatur, juxta l. 36. si quis. ff. de V. O. t. 5. dolo. C. de inutilibus stipulat. cum perinde sit, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmeretur. l. 112. de R. I. Excipitur tamen casus, si ita civiliter tantum obligatus, exceptionem suam omiserit, & condemnatus sit, nam tum propter auctoritatem rei judicatæ efficaciter obligatur, cui fidejussor accedere non prohibetur, arg. l. 28. ff. de statu homin. videatur omnino Amplissimus Dn. Præses in Rebus quotidian. sect. 4. th. 3. sub nota a. & th. seq. 4. ibidem.

(c) arg. l. 47. ff. h. r. nam facta quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, inquit Papinianus in l. 15. ff. de condit. instit. facit l. 70. §. fin. ff. h. r.

(d) Secundum legem 1. & 2. C. ne fidejuss. dor. dentur, Ratio est, Cum mulier sese marito absq; fidejussore concredat, quidhi & dotem? Ne jurgium, pravæ suspiciones & id genus alia erumpant, ac causa perfidiae in connubio eorum generetur d. l. 2. C. ne fid. dor. nam concordia maritalis cuiusque lucro est præferenda, juxta nobilem illum textum in l. 5. C. de Inst. & substitut. matrimoniumque potius amoris quam dotis causa est quærendum. Excipe tamen: 1. Quando maritus ad inopiam est deductus, tum enim Uxor non solum satisfactionem à marito petere, sed & dotem, constante licet matrimonio, repetere potest, uti patet ex l. 24. pr. ff. soluto marrimon. vide Carpzov. part. 2. constit. 24. Defin. 11. per tot. in Jurispr. Civ. quo tamen casu maritus gaudet privilegio competentiae, ut tantum in id, quod facere possit, conveniatur. l. 17. ff. de Re jud. Aut cum 2. maritus volens & non ad id adactus majoris securitatis gratia, fidejussorem constituit, arg. l. 4. §. 5. ff. si quis caution. in judic. l. 55. ff. de jur. dor. si enim nulla satisfactio pro dote exigenda est à marito, igitur ipso volente efficaciter fidejussor datus tenetur. arg. l. 2. C. ne fidejussor. dor. dentur.

(e) l. 56. §. fin. ff. hoc tit.

(f) l. 29. ff. eodem. nam impossibilis conditio, cum in faciendum concipitur, stipulationibus obstat secundum l. 7. impossibilis. ff. de Verb. Oblig.

B. 3: TRI-





Quando.  
in Crimi-  
nalibus.

THESIS VII.

Neque in Criminalibus fidejussores penitus arcentur (a) attamen cum hac distinctione, quod tum demum in ijs locum mereantur, quando poena pecuniaria (b) non autem corporis afflictiva, infligenda venit. (c)

(a) l. 1. & 3. ff. de custodia reorum. Authent. Hodie. ibi: si verò tale sit crimen ut necesse sit eam custodiri, si quidem fidejssorem dare potest, ipsi credatur. C. de custod. Reor.

(b) l. 4. ff. de exhibit. Reor. Schneidvv. ad §. 1. l. h. t. n. 8.

(c) Propter textum in l. 3. ibi: nisi tam grave scelus eum admisisse constet, ut neque fidejssoribus committi debeat ff. d. t. de exhibit. Reor. vid. l. 6. §. 3. C. de appell. Sichardus ad Rubr. C. de fidejss. n. 5. cum nemo sit dominus membrorum suorum, adeoque ad poenam corporalem se obligare nullus valeat, arg. l. 13. in pr. ff. ad l. Aquilian. Welenb. in parat. ff. h. t. n. 4. satiusque sit impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare, juxtà l. 5. in pr. ff. de poenis. Si verò in hisce capitalibus causis contingat, ut pro sanguinis vel alterius coërcitionis poenâ fidejssor recipiatur, hic nihilominus capitaliter non plectitur, sed certa pecuniæ summa, loco poenæ ipsi persolvenda, denominatur, Welche er zu erlegen sich verpflichten muß da er den beflagten nicht stellet/ quem nimirum intrâ certum tempus judicio representare promiserat, nec eum, antequàm terminus iste exhibitioni præscriptus effluxisset, stiterat. l. 27. C. de fidejss. Marfil. d. tract. n. 138. & seq. hunc etiam fidejssor non interpellatus exhibere cogitur per text. in l. 12. C. de commit. & contrah. stip. ibi: sed etiam citrà ullam admonitionem eidem poenæ pro stipulationis tenore fiet obnoxius, cum ea quæ promisit, ipse in memoria suâ servare, non ab alijs sibi manifestari debeat poscere.

THESIS VIII.

Sequitur Divisio Fidejssorum quæ talis.

1. Quod alij sint voluntarij (a)
2. Alij necessarii (b)
3. alij in judicio (c)
4. alij in Contractu (d)
- dati.
5. alij qui in dando (e)
6. alij qui in faciendo

Divisio  
fidejssorum.



do (f) consistant 7. alij qui in civilibus (g) 8. alij qui in criminalibus (h) constituentur, 9. denique alij qui vicarij (i) vocentur.

(a) l. 7. §. 1. & l. seq. §. 4. ff. qui satisfacere cogantur.

(b) dictis legibus.

(c) princ. l. de satisfac. tutor. §. 4. in fin. l. de satisfac. l. 1. ff. qui satisfacere cogantur.

(d) Mynsing. cent. 4. Observ. 96. n. 1.

(e) cum scilicet fidejussor se rem aliquam daturum. l. 2. in pr. ff. de V. O. l. 65. ff. de fidejuss.

(f) vel quippiam facturum promittit, prae allegatis legibus.

(g) fidejussor enim accipi potest, quotiens est aliqua obligatio civilis cui applicetur l. 16. §. 3. ff. b. t.

(h) Ut puta si ex delicto oriatur actio. l. 8 §. 5. facit l. 70. ff. d. t. de fidej. ubi in poenam furti is, cui furtum factum est, fidejussorem accipere potest, cum poenas ob maleficia solvi, magna ratio suadeat d. l.

(i) l. 33. §. 3. ibi: sed aut vicarijs fidejussionibus contradantur C. de Episc. & Cleric. confer C. l. A. l. 46. t. 1. th. 7.

THESIS IX.

Forma fidejussionis potissimum consistit 1. In stipulatione, tanquam in suo genere (a) 2. Ut fidejussor non plus debeat quam Principalis (b) 3. Ut non fiat inter absentes (c) neque per epistolam (d) 4. Ut in eodem loco ubi contractum est fidejussor detur (e) 5. si opus fuerit, ut scriptura adjiciatur (f) 6. quod nihil intersit quacunque lingua fiat (g) 7. quod, qui fidejussorem dare promisit, pignoribus vel hypothecis obligationi non satisfaciat (h) 8. quod fidejussio per intervalla celebrari possit (i) 9. quod quis se ad obstagium adstringere possit. (k)

Forma fidejussionis.

(a) lex





201  
(a) l. 12. C. de fidejussor.

(b) §. 5. l. eod. videatur Wefenb. in parat. ff. h. n. §. nam accessio-  
rium sequitur naturam sui Principalis. l. 178. ff. de R. I. In levio-  
rem tamen causam fidejussor se obligare potest. d. §. 5. l. eod. facit. l. 8. §. 7. ff.  
h. t. quod si verò in ampliorem summam, quam in debito principali re-  
vera est, sit acceptus fidejussor, tota idè haud evanescit nec corrumpit ob-  
ligatio, ne utile per inutile vitietur, sed tenetur pro parte concurrente,  
arg. l. 1. §. 4. ff. de Verb. Oblig. & l. 11. §. 1. ff. de const. pecun. in re dubia  
enim non minus justius quam tutius est, benigniorem sequi interpre-  
tationem ut actus subsistat, arg. l. 70. in pr. ff. h. t. cum fidejussori nulla  
fiat injuria, utique qui fidem suam pro Reo lubens adstringere voluit,  
Wefenb. d. l. Efficacius verò & magis quàm Principalis obligari potest,  
veluti sub juramento, vel aliquo Instrumento guarentigiato, quod ad-  
junctam habet paratam executionem, alijque rursus cedi potest, qui  
Gerrenver briefes einhaber nominatur, & verè creditor est. Treuler, vol. 2.  
disp. 28. th. 4. lit. f.

(c) Inter præsentes enim hic contractus tantùm celebrare de-  
bet, ut fidejussor expressim & disertis verbis consentire possit. l. 1. §. 1. ff.  
de Verb. Oblig.

(d) quod tamen hodiernis moribus communis commerciorum  
usus intuitu correctum esse, ex Heringio de fidejuss. c. 11. n. 76. probat  
Hilliger in Donell. lib. 15. cap. 48. lit. C. Treutlerus vol. 2. D. 28. th. 4.  
lit. a. in fin. & Gudelinus de jure novissimo lib. 3. cap. 5. & 11.

(e) l. 7. §. 1. ff. qui satisd. cogant.

(f) quodcunq̄ enim scriptum est actum esse videtur. §. fin. l.  
h. t. ac in hunc finem scripturæ fiunt, ut id quod actum est, per eas fa-  
cilius probari possit. l. 4. ff. de pign. & hypothec.

(g) arg. §. pen. l. h. t. & l. 8. pr. ff. eod. modò congruenter respon-  
deatur ita ut contrahentes se invicem intelligant. l. 1. §. fin. ff. de V. O.  
videatur Myns. cent. 5. Observ. 45. n. 1. 2.

(h) nam aliud pro alio invito & nolenti creditori solvi non  
potest, juxta l. 2. §. 1. in fin. ff. si certum petatur. aliter verò se res habet, si  
ipso volente fidejussor pignus in re aliqua constituat, arg. l. 3. §. ult. ff.  
de administ. rer. ad civit. pertin. quia ex conventionem tota pendet obli-  
gationis substantia, arg. l. 7. §. 1. & 2. ff. de pactis.

(i) Intervallum non vitiat obligationem. l. 1. §. 1. in fin. ff. de  
V. O. l. 6. pr. & §. 2. ff. h. t.

(k) Hoc olim in usu erat satis frequenti, speciemque carceris  
repræ-



representabat, arg. l. 9. ff. ex quibus causis major. in vinculis enim eos etiam accipimus, qui ita alligati sunt, ut sine dedecore in publico comparere non possint, l. 10. ff. modo citato titulo; nam si principalis debitor ad diem constitutam non soluisset, fidejussores per literas creditoris citabantur, wurden in die Leistung gefordert/ut se, juxta pacta, in loco convento sisterent, inde non discessuri, donec solutio fieret, Verum hic mos, novissimâ Imperij Politicâ constitutione sublatus & abolitus est, vide die Policey-Ordnung zu Francsfurt gebessert / anno 1577. sub tit. 17. §. Wienvol auch.

THESIS X.

In quem finem fidejussores in Obligationibus adhibeantur, id notum est ex princ. I. de fidejuss. scilicet ut creditor securior reddatur, ei que de suo debito diligentius sit cautum, ut si forsitan Principalis facultatibus suis labatur, aut bonis cedat, (a) is quem reconvenire possit habeat, (b) egimus de eo, in primordio disputationis, definitionem fidejussorum tractantes, igitur, brevitatis ergo, hinc ulterius ea repetenda haud ducimus.

Finis Fidejussionis.

(a) §. fin. I. de replicat.

(b) Hinc patet contractui huic perfidiam primario causam dedisse, quod & fidejussoris appellatio germanica, ein Burg/ non incongruè innuit, quemadmodum enim arx seu fortalitium, ingruentibus hostium incursionibus nos securos reddit, arg. l. 2. C. de Prefect. Prætor. Afric. ita etiam fidejussor pavidus creditori animum injicit, de secure huic vel illi pecuniam credendo.

THESIS XI.

Cum itaque fidejussor ad principalem obligationem accedat, omneque accessorium sui principalis naturam sequatur (a) effectus exinde tales suboriuntur 1. Quod fidejussor æquè ac Principalis

Effectus fidejussionis.

C

palis

cessio-  
orem  
§. 7. ff.  
ali re-  
it ob-  
rente,  
dubiâ  
erpre-  
nulla  
oluit.  
otest,  
od ad-  
t, qui  
vol. 2.  
re de-  
§. 1. ff.  
iorum  
probat  
th. 4.  
i. fin. l.  
cas fa-  
espon-  
de V. O.  
i non  
abet, si  
ult. ff.  
t obli-  
n. ff. de  
arceris  
repræ-





palis debitor, ex sua obligatione, de omni eo, quod Reus debet, (b) Creditori teneatur, (c) 2. quod fidejussor non saltem ipse obligetur, sed etiam, postquam ab humano consortio recesserit, heredem relinquat obligatum (d) 3. si plures sint fidejussores, eorum quemlibet in solidum teneri, (e) 4. quod fidejussor & tum in solidum sit obligatus, si pignus in quod fidejussit, perierit (f) 5. Fidejussorem in id non teneri, quod a Reo Principali servari potuit, (g) 6. Cum Principalis debitoris bona pro parte publicata sunt, ita, ut is Creditori ultra residuam partem non teneatur, fidejussorem nihilominus in solidum obligatum permanere (h) 7. Fidejussorem pro hypotheca datum, pignus seu hypothecam liberare. (i)

(a) juxta usitatissimum illud axioma in *l. 178. ff. de R. I.*

(b) Hic spectandum est tempus fidejussionis, *arg. l. 2.2. ff. de Obl. & Action.*

(c) An vero ex mora Rei Principalis fidejussoris obligatio augetur, quaestio est non vulgaris, Et Respondemus, quod is hoc casu usuras praestare non teneatur, nisi in omnem causam fidem suam adstrinxerit, *per l. 54. in pr. ff. locat. conduct. l. 5. C. de pact. int. emptor. Wesenbec. in parat. ff. h. t. n. 6. in pr. Alciatus ad l. 178. §. fin. ff. de V. S.*

(d) §. 2. *l. de fidej.* ubi Schneidvv. *l. 4. §. 1. ff. l. 24. C. h. t.* etenim heredis obligatio semper instrumento virtualiter inesse putatur, & tam ad heredes, quam contra heredes transmittitur, juxta *l. 13. C. de contrah. stipulat.*

(e) licet id in Obligatione expressè non sit adjectum §. 4. *l. h. l. 3. C. eod.* secus si nominatim actum sit, ut quilibet tantum in partem teneatur, hodie tamen gaudent beneficio divisionis.

(f) *l. 52. pr. ff. h. t.*

(g) *lex*



(g) *l. 13. in fin. l. 55. in fin. ff. h. t.*

(h) Sententiâ enim bonorum omnium ademptionem continente Rei damnati Principalis intercessores eligendi creditori potestas non adimitur, uti habet *l. 20. C. de fidejuss. vid. l. 1. C. eod.*

(i) per expressum textum *in l. 5. §. 2. ff. quibus modis pignus vel hypotheca solv.* hinc infertur, quod si à Colono pro mercede fidejussor fuerit datus, tacitè locatorem hypothecæ super Coloni rebus in fundum illatis renunciâsse videri, uti traditur *in C. I. A. lib. 46. t. 1. thes. 14. num. 15.*

#### THESIS XII.

Nunc ad Fidejussorum remedia seu beneficia nos accingamus, quæ ipsis à Sacratissimis Imperatoribus, veteris juris rigiditate vel in totum remota, vel mitigatâ, concessa sunt, quorû communiter tria numerantur. Primum est beneficium Ordinis seu Excussionis (a) Secundum Divisionis seu epistolæ Divi Hadriani (b) Tertium Cedendarum actionum (c) de singulis breviter agendum.

*Beneficia  
fidejussorum.*

(a) quod extat in celeberrima illa *Novella 4. c. 1.*

(b) *in §. 4. l. de fidejuss. & l. fin. C. de pecun. const.*

(c) *in l. 17. ff. l. II. C. h. t.*

#### THESIS XIII.

Inter hæc recensita fidejussorum beneficia meritò primum sibi vindicat locum illud quod vocatur Excussionis seu Ordinis, eo, quod non turbato, sed potius servato legitimo ordine, debitor Principalis, antequàm Creditori ad fidejussores ullus pateat aditus, prius conveniri & excuti debeat: Olim quidem, prout in præcedentibus indigitatum est, de jure Codicis, (a) potestas erat

*Beneficiū  
Excussionis.*

C 2

Credi-



Creditori, fidejussores antè Principalem Reum  
conveniendi, eosque ad solutionem usque co-  
gendi: Hoc ipsum verò Imper. Iustinianus nimis  
rigidum inhumanumque, econtra autem pium,  
ut fidejussoribus & id genus hominibus auxilium  
feratur, judicans, præsens Ordinis beneficium in  
singularem eorum favorem ac gratiam introdu-  
cere voluit, ne peiori loco essent constituti, quam  
ipforum Principalis, Eo enim excusso, & satis lo-  
cuplete invento, fidejussor in salvo est, cæterisque  
duobus beneficiis prorsus non indiget, siquidem  
Creditor tum consecutus est, quod voluit, ab aliis  
ergo absteat. (b)

(a) l. 5. C. de fidejussor.

(b) dicta Novell. 4. 6. 10.

#### THESIS XIV.

*Vocabulum  
Excutere  
quomodo  
hic s. m. a.  
187.*

Notandum autem vocabulum excutere,  
multifariam in jure accipi: cujus proprietates im-  
præsentiarum allegare, easque multis examinare,  
supervacaneum ducimus, nobis sufficiat indicaf-  
se, quod eodem sensu, quo JCrus Ulpianus (a)  
usus est, hoc loco illud acceptemus, nimirum De-  
bitorem Principalem convenire, ac in ejus facul-  
tates & bona rigorosè inquirere, eumque ad peram  
usque & saccum excutere, utrum ex iis tandem  
Creditor suum debitum consequi queat. (b)

(a) lex



(a) l. i. §. 9. ff. de magist. conven.

(b) C. l. A. l. 46. t. i. th. 15.

THESIS XV.

Pinguius hoc beneficium Ordinis describitur, quod sit exceptio quædam, jure Novellar. introducta, quâ fidejussor adversus Creditorem se tue-ri potest, ne prius, antequam Principalis debitor ita excussus sit, ut etiam ei non remaneat, quo la- trantem stomachum exfaturet, conveniatur.

Definitio  
beneficij  
Ordinis.

*Iuxta d. Novell. 4. c. 1.* Etenim ut iste qui sensit commodum, quoq; sentiat incommodum, *per l. 10. ff. de R. l. ac qui lucrum amplectitur, etiam annexum ei onus non contemnat. l. unica §. 4. in fin. C. de caduc. tollend.* id secundum naturam est, & æquitati planè non refragatur.

THESIS XVI.

Hâc Ordinis Exceptione se contra Creditores vallare possunt. 1. Fidejussor simpliciter datus, (a) 2. Extraneus possidens res hypothecæ loco obligatas (b) 3. Fidejussor indemnitatis (c) 4. De- bitor debitoris (d) 5. Possessores rerum pro dote hypothecatarum (e) 6. Fidejussor fisci (f) 7. Is fidejussor, qui se veluti Principalem Debitorem constituit (g) 8. Mercatores invicem. (h)

Qui se hâc  
Except. cõ-  
trâ Credit.  
vallare  
possint.

(a) *arg. Authent. Præsent. C. de fidejuss. & mand.*

(b) Si enim Creditor contra hunc actione hypothecariâ, Princi- pali non pulsato, agere vellet, objiceretur ei, quod actio non prius lo- cum sortiatur, antequam Reus principalis, vel post eum fideiussor, si quis datus, excussus sit, *secund. Auth. hoc si debitor. C. de pign. & hypoth.* Rittershus. *ad Nov. 4. n. 31. & seq Gail lib. 2. Observ. 27. n. 7.* Non item hoc procedit, si debitor ipse has teneat, nam tum utralibet actio, & personalis & hypothecaria, adversus eundem illico institueretur, *secund. Nov. 4. c. 2. ibi: contra Principales tamen, & existentes apud*

C 3

eos



251  
eos res, sive personalibus, sive hypothecarijs sive ambabus, uti  
voluerit, omnem ei damus licentiam, quæ dudum à nobis data est,  
Quodsi verò debitor jam conventus res hypothecæ suppositas, lite  
pendente, alienare velit, tum quidem ei licitum est, istas cui, & quando  
voluerit, vendere. sic tamen, ut ex pretio earum usque ad debiti quan-  
tatem satisfaciat creditori. Si autem hoc debitor non fecerit, Cre-  
ditor licentiam habet rem suppositam vindicare, donec ei satis pro de-  
bito fiat, quemadmodum Justinianus constituit in *Nov. de litigiosis* 112.  
*cap. 1.*

(c) Ein schadlos Bürge / hic propriè loquendo ille est, quem  
Reus Principalis suo fidejussori constituit, ut eum servet indemnem.  
*arg. l. fin. ff. si certum petatur & l. 116. de V. Obl.* quanquam tali fidejusso-  
ri, non ex beneficio *Nov. 4.* sed ex ipsâ conventionis natura, quæ id  
ipsum importat, hæc exceptio competat per *l. 27. §. 4. ff. h. t. Gail lib. 2.*  
*observ. 27. n. 13.* Undè licet omni legum beneficio renunciaverit, ni-  
hilominus ante Principalem debitorem conveniri nequit. Hillig. in  
Donell. enucleat, *lib. 15. c. 48. lit. o.* Hyppolit. de Marfil. in tractatu  
de fidejuss. n. 23.

(d) *l. 2. C. quando fiscus vel privatus debet.*

(e) Hi enim, ut maritus Uxoris, tanquam Principalis, prius ex-  
cutiatur petere possunt, in casu quo uxor dotem repetit, conferatur  
*C. I. A. lib. 46. t. 1. th. 16. n. 8.*

(f) In hoc fiscus non melioris conditionis est, quàm privatus  
*l. 47. ff. de jure fisc.* quia contrarium in jure non reperitur, Rittershusius  
ad *Nov. 4. n. 18.*

(g) Wann er selbst gut dafür sein will / vnd sich als ein Bürge vnd  
selbst schuldiger verschrieben hat / licet enim in negativam euntibus haud  
levia in propatulo sint argumenta, quibus probare annuntur, fide-  
jussorem, tali obligationis formulâ, suo beneficio tacitè videri renun-  
ciasse, idque imprimis propter *textum in l. 4. in pr. ff. de usur. & fruct.*  
ex quo colligitur, quod in contractibus nullum verbum nedum clau-  
sula debeat esse otiosa, & sine virtute operandi, jam vero constat, con-  
ventiones & pacta contractibus legem dare *ex l. 1. §. 6. ff. depositi.* Ideo-  
que non aliud dicendum putant, quàm fidejussorem, hæc obligationi  
insertâ clausula, suo cecidisse remedio: Ast cum privilegia non strictè  
sed largiter sint interpretanda, Excussionis beneficium autem in me-  
rum fidejussorum favorem & gratiam introductum esse nemo sit qui  
inficias eat, adhæc Vocabulum **Selbstschuldiger** tantum non operetur,  
ut



ut ex eo elici queat, fidejussorem expressis verbis huic beneficio se abdicasse, (quod tamé ante omnia requiritur) sed potius, eum hoc, ut fortius obligaretur; adjecisse appareat, Proinde hæc formula nequaquam in eorum damnum & odium tam facile erit torquenda, multo minus cum Gail lib. 2. Observ. 28. n. 2. & 6. in fin. Treutl. vol. 2. disp. 28. th. 5. lit. e. & alijs in idem inclinantibus, statuendum, hanc Ordinis exceptionem illis officere & minimè prodesse, cujus nostræ sententiæ adstipulatores habemus Rittersh. in Nov. 4. n. 21. & Sichard. in Rubr. n. 13. & Authent. Prasente. n. 4. C. h. tit. de fidejuss. Secus se res habet, quando prædicta fidejussoris verba animo novandi in obligationibus sunt appolita, nam hoc si expressè actum est, Ordinis beneficium tunc cessare, lubentes concedimus.

(h) quanquam nonnullis negativa placeat, licet expresso careant juris textu, inter quos etiam sunt Gail lib. 2. Observ. 27. n. 27. & Myns. 2. Observ. 15. n. 5. Sed contraria nobis magis arridet sententia, propter ingens illud studium, quod mercatores circa publicos contractus adhibent, nisi speciale pactum fecerint, ut creditori licentia sit, tam Principalem creditorem, quam fidejussorem conveniendi, per Nov. 136. c. 1. leges enim sunt communes, & ab omnibus æquabiliter observandæ. l. 3. leges. Cod. de legibus.

THESIS XVII.

Excussionis beneficium cessat 1. quando debitor Principalis tempore solutioni destinato est absens, fidejussor verò præsens (a) 2. Si Principalis debitor sit potens vel tyrannus (b) 3. Fidejussore suam intercessionem scienter ac dolosè negante (c) 4. quando debitor Principalis notoriè & evidenter non est solvendo (d) 5. Si fidejussor specialiter & nuncupatim huic beneficio renunciaverit (e) 6. quando quis pro pupillo, sine tutoris autoritate, prodigove vel furioso fideiusservit (f) 7. quando beneficium hoc in judicio creditori

Quando hoc beneficium cesset.





tori non expressè fuerit oppositum (g) 8. quando inter creditorem, ceu fidejussoris debitorem, & fideiussorem ipsum compensatio fuerit instituta (h) 9. Si fideiussor debitori heres extiterit (i) 10. Si Principalis Reus sit litigiosus & rixosus, adeò ut non expediat eum excutere (k) 11. quando quis iurisiurandi Religione ad solutionem se alligaverit, tum talis iuratoria obligatio habet vim expressæ renunciationis (l) 12. quando Princeps, Comes, Baro, vel alius vir nobilis se hoc modo obligaverit, **Alles bey Fürstlichen Gräfflichen wården vnd ehren / Adelichen trewen / glauben vnd wahren worten (m) 13. si quis expromiserit. (n)**

(a) Innuit id ipsum ipsa Novell. nostra 4. c. 1. *in med.* his verbis: Si verò intercessor, aut mandator, aut qui sponcioni se subjecerit, adsit, principalem verò abesse contigerit, acerbum est, creditorem mittere aliò, cum possit mox intercessorem exigere: Absens autem Principalis debitor tum iudicatur, quando non in eodem territorio, in quo creditor degit, reperitur, *arg. d. Nov. 4. c. 1. versic.* si verò intercessor, aut quando ratione jurisdictionis difficulter conveniri potest, Undè *in l. 2. in pr. ff. qui satisd. cog.* non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate quis locuples habetur, quocircà hæc exceptio summâ nititur æquitate, ut non attento Ordinis beneficio, fidejussor hoc casu ante Reum Principalem conveniatur, nisi eum intra certum & definitum tempus creditori sistat, quod ei ad præsentandum & evocandum Reum à causæ præsidente concedendum est. Videantur Scriptorum Cameralium facilè antesignani Gail *lib. 2. Observ. 27. n. 35.* ac Myns. *cent. 2. Observ. 15. n. 3. & 13.* ut & Sichardus *ad Authent. Præsentate. C. h. t. de fidej. num. 5.* quo tamen elapso, liteque cum Creditore contestatâ, licet Principalis, pendente adhuc processu, revertatur, hæc exceptio fidejussori minimè competit, sed compellitur ad satisfaciendû, cum creditor ipsi suas actiones rursus cedere teneatur, Schneidvv. *ad §. si plures. §. 1. de fidej. n. 15.* (b) sic



(b) Sic, ut à Creditore commodè conveniri nequeat, Wann nemlich der Principal dem glaubiger zu hoch gefessen / also / daß er ihn nicht wol besprechen mag / scilicet, propter metum corruptionis & gratiæ, tum rectè ad fidejussores profilire poterit, secundùm l. si quis. 112. §. 1. ff. de V. O.

(c) Hâc enim inficiatione negat id, quod est causa beneficij, Inficiantibus verò jura non opitulatur, arg. l. 10. §. ita demum. 1. ff. de fidejuss. Mynf. cent. 2. observ. 15. n. 8.

(d) cum nullam videatur actionem habere, cui propter inopiam adversarij inanis actio est, juxta l. 6. ff. de dolo malo. arg. l. 14. §. 1. ff. de legat. sive fideicommiss. nom. Mynfang. d. l. n. 2. Hujus rationem non obscuram Veteres Germani vulgari proverbio prodiderunt, Wo nichts ist / da hat der Kayser sein Recht verlohren. Notorietas autem hæc, non solâ nuntij dicentis, se perquisivisse in bonis Principalis debitoris, & nihil invenisse, relatione probatur. Hippolytus de Marsilijs in tract. de fidejuss. n. 22. sed quomodò probetur, de hoc consule Gailium lib. 2. Observ. 27. n. 14. & 15. ut & alios, hanc quæstionem tractantes.

(e) arg. l. penult. C. de pactis. facit Novell. 136. c. 1. & hæc renunciatio heredi quoque nocet, cum eadem persona cum defuncto reputetur, vide Rittershusium ad Novell. 4. n. 20. ubi addit generali omnium beneficiorum renunciatione, hoc beneficium non amitti. arg. l. 1. C. deposit. ibi : si non aliud specialiter convenit, in dubio facta non præsumitur, arg. l. 54. ff. locat. Carpzov. in jurispr. civil. const. 17. definit. 1. per tot. Amplissimus Consult. & Excell. Dn. Præses in Rebus quotidian. section. 4. th. 73. sub notâ M. num. 6. neque tollitur hoc beneficium per clausulam consuetam, Alles gerrewlich auffrichtig vnd ohn gefährde / Hering. de fidejuss. c. 17. n. 25.

(f) expressus textus est in l. Marcellus. 25. ff. de fidejuss. quoniam actio mandati ei non competit.

(g) & quidem antè litis contestationem, Gail. ibid. n. 2. & 13. cum jura vigilantibus, non autem dormientibus sint scripta, arg. l. 21. pr. ff. de peculio in fin. & l. 24. in fin. ff. quæ in fraud. cred. ideoque, licet illud fidejussor post litem contestatam alleget, eâ tamen invocatione nihil proficit, quia commisit contra beneficium, veluti legem pro se introductam, arg. l. 37. §. 1. ff. de minoribus.

(h) nam tum fidejussor ut actor Ordinis beneficio uti non poterit. C. I. A. lib. 46. t. 1. th. 17. n. 7.

(i) per l. 27. C. de pactis, facit l. 24. C. h. t. de fidejuss. quia hoc casu

D per



per confusionem obligatione suâ extinctâ, fidejussor, non ut fidejussor, sed ut heres & principalis convenitur.

(k) nam tum præsumitur Creditorem magis sui fidejussoris, quàm debitoris fidem sequi voluisse, imprimis si palam sit debitorem ejusmodi hominem esse, *arg. l. 2. pr. ff. qui satisd. cogant.*

(l) *arg. l. 77. § 23. ff. de legat. 2. Gail lib. 2. Observ. 27. n. 23.*

(m) *Gail d. lib. Observ. 59. n. 2. Myns. cent. 1. obs. 17. n. 1. 2. & 3. Consultissimus Dn. Præses in Aureis lar. Civili sect. 4. rh. 73. lit. M. n. 7. fin. quippe tales promissiones juramento corporaliter præstito, ex notoriâ Germaniæ consuetudine, æquipollent, Schönbornerus lib. 4. Politicor. cap. 6.*

(n) Cùm enim expromissor suâ intercessione obligationem debitoris Principalis in totum delet ac tollat, aded, ut is eâ planè fiat solutus, meritò nec excuti poterit. *Schneidvv. ad Rubr. l. h. t. de fidejuss. n. 10.*

#### THESIS XVIII.

*Materia  
Excussio  
nis.*

Materia quæ pervertenda venit, sunt 1. Principalis debitoris mobilia & immobilia, *Seine beweg- und unbewegliche Güter* / ut & ejus nomina, (a) 2. Res litigiosæ, eâ tamen conditione, si istæ à Judice Reo Principali, fuerint adjudicatæ (b) 3. Principalis debitoris, fatali sorte consumpti, heredes, vel hereditas jacens. (c)

(a) *arg. l. 15. § 2. ff. de Re judic. ibi: quod si nec quæ soli sunt, sufficiant, vel nulla sint soli pignora, tum pervenietur etiam ad jura.*

(b) *juxta d. l. 15. § 4. ibi: etsi cognoverint ejus fuisse, qui condemnatus est, rem judicatam exequentur: ff. de Re judic.*

(c) *quæ domini personam sustinet l. 9. C. deposit.*

#### THESIS XIX.

*Forma  
Ord. be-  
ref.*

Forma potissimum sequentia in se continet, nempe ut justo & legitimo tempore, à fidejussore hæc exceptio Creditori expressè opponatur, nam  
alias



alias eâ neglectâ , iudicium in fideiussorem da-  
bitur, & valebit, (a) An verò hæc antè vel post litis  
contestationem institui debeat, de eo discrepan-  
tes sunt Doctores. sententiæ. Nos beneficium hoc  
esse dilatorium, atque sic à fideiussore antè litem  
contestatam, (b) si isto alias frui cupiat, opponen-  
dum esse, concludimus.

(a) Schneidvv. ad §. si plures. 5. l. h. r. n. 14. Wesenb. in parat. ff. eod.  
n. 6. Sichardus ad Authent. Presente. C. h. r. de fidei. n. 8. & 9.

(b) arg. l. 12. & 13. C. de except. Wesenbec. in parat. ff. de except.  
num. 7.

THESIS XX.

Finis beneficij Ordinis est, ut explosâ veteris  
juris dispositione, Reus Principalis à Creditore an-  
tè fideiussorem necessariò pulsetur, atque ad pe-  
ram usque & saccum excutiatur, fideiussor que in-  
terim ab hisce molestiis tutus sit.

*Finis be-  
nef. Ord.*

THESIS XXI.

Effectus in ipsa Novell. nostra 4. c. 1. ibi : quid  
enim ei in extraneis erit, à debitore completo : sa-  
tis luculenter exprimitur, nimirum ut fideiussor,  
post diligentem inquisitionem in facultates Rei  
Principalis institutam, iisque ad satisfaciendum  
Creditore sufficientibus repertis, à suâ intercessio-  
ne planè liberetur, sin verò contrarium evenerit,  
ut tum Creditor, in quantum sibi adhuc debetur,  
regressum suum ad fideiussores habeat.

*Effectus  
ejusdem.*





82

*Benefi-  
cium Di-  
visionis.*

THESIS XXII.

Postquam prædicto modo Principalis debitor ritè excussus est, ad præstandam autem Creditori solutionem inidoneus repertus, confideiussores eius ne tùm quidem singulatim opus habent, ad debitum, quod in obligatione continetur, integrè persolvendum, extemplò cum sacco esse parati, sed gaudent insuper alio beneficio, Divisionis scilicet, quod ipsis à nunquam satis laudato Imperatorum Hadriano, Imperatoriâ suâ benignitate ac æquitate ad id commotus, indultum est, antiquo & summo jure in hoc prorsus sublato, quo liberum erat Creditori, utrum vellet fideiussorem in solidum convenire, etiamsi hoc in obligatione non esset expressum.

§. 4. l. de fidej. l. 16. C. eod.

THESIS XXIII.

*Vox Divi-  
sionis quo-  
modo acci-  
piatur.*

Hanc Divisionis vocem sumimus pro actiones vel obligationes, inter plures confideiussores, (a) secundum portiones viriles, invicem dividere. (b)

(a) Non enim Reus Principalis desiderare potest, ut inter se & fideiussorem dividatur obligatio, l. 27. §. 4. ff. eod.

(b) l. 1. §. 11. & 12. ff. de tutel. & rat. dist.

THESIS XXIV.

*Descriptio  
beneficij  
Divisionis.*

Hinc talis suboritur Descriptio: quod sit exceptio, ab Imperatore Hadriano, alternâ fideiussione

fione  
ditor  
tibus  
sunt,  
niant  
(a)  
ridianis  
(b)  
demum  
bus suis  
  
C  
cum  
vend  
2. Hu  
confi  
suâ ef  
muni  
jussor  
conf  
vend  
vit (e  
(a)  
fidejuss  
modò  
eod. n. 6  
(b)  
vnd alle  
licet in  
men ea





sione obligatis, concessa, (a) quâ se adversus Creditorem, si is unum ex pluribus solvendo existentibus (b) tantum convenire velit, defendere possunt, ut & cœteri confideiussores pro ratâ conveniantur.

(a) §. 4. l. h. r. l. 26. ff. eod. Amplissimus Dn. Præses in Rebus quotidianis sect. 4. th. 73.

(b) nam non semper solidum à singulis exigi potest, sed tum demùm, quandò eo tempore, quo unus convenitur, alij vel facultatibus suis sunt lapsi, vel absunt. Auth. Hoc ita C. de duobus Reis.

THESIS XXV.

Competit illud 1. Cuicunq̃ue fideiussori, qui, cum Creditor solutionem petit, ex pluribus solvendo existentibus, solus in solidum convenitur (a) 2. Huic fideiussori, qui ab initio cum alijs pluribus confideiussoribus solidum, & partes viriles, fide sua esse jussit (b) 3. Fideiussori fideiussoris, communiter Rückbürge vocatur (c) 4. Heredi fideiussoris, (d) 5. Isti fideiussori, qui suam portionem, confideiussoribus litis contestatæ tempore solvendo existentibus, creditori extrajudicialiter solvit (e) Et 7. Qui se ut Principalem constituit. (f)

Quibus beneficium Disisionis competat.

(a) §. 4. vers. qui modo. l. de fidejuss. non enim is, qui cum altero fidejussit, solus tenetur solvere solidum, sed dividitur inter eos actio, modò solvendo sint, juxta l. 10. §. 1. C. h. t. de fidej. Wesenb. in parat. ff. eod. n. 6.

(b) hoc scilicet modo, daß sie sampt. vnd sonderlich einer für alle vnd alle für einen wollen gehalten sein / secund. l. 51. in princ. ff. de fidej. nam licet in Obligatione adjectum sit, ut singuli in solidum tenerentur, tamen ea res nihil mutat conditionem juris, & ejus constitutionem l. 3.



*C. eod.* in stipulationibus enim verba dubia pro promissore potius, & contra stipulatorem interpretanda sunt. *per l. 99. ff. de verb. oblig.*

(c) Hic propriè loquendo is est, quem fidejussor respectivè Principalis creditori constituit, suæ fidei firmandæ causâ, ut quantum minus à se consequi valeat, id ab altero fidejussore exigat, *arg. l. fin. ff. de Rebus Credit.* & hic pertinet ad eandem beneficij causam, inque hujus personâ æquè ea, quæ sunt à Divo Hadriano constituta, locum habent, quàm quæ in aliorum personis, *juxta l. 27. §. 1. ff. de fidejussor.* sed hæc Divisio tantum inter se, & confidejssores sui Principalis, non verò inter se, & fidejssorem respectivè Principalem, procedit, *per d. l. 27. §. 4. ff. eod.* vide *Carpzov. in jurispr. civil. constit. 17. defn. 7.*

(d) *d. l. 27. §. 3. l. 49. §. 1. ff. h. t.*

(e) quod huic per exceptionem debeat succurri rotundè indicat *l. 51. §. 1. ff. de fidejussor.*

(f) *arg. l. fin. C. de constit. pecun. & l. 3. C. h. t. de fidej.* abundans enim cautela non nocet, & quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inferuntur, jus commune non lædunt, *textus in l. 81. ff. de R. l. cum fidejussor, qui se ita ut Principalem constituit, idem faciat, quod leges faciunt, nihilque aliud promittat, quàm quod antea in ipsius personâ erat provisum, scil. ut in casu insufficientiæ reliquorum confidejssorum, in solidum teneretur. d. l. 3. C. h. t. de fidej.*

#### THESIS XXVI.

*Qui Divisionis beneficii non usentur.*

Divisionis exceptione non juvantur 1. Fidejssores malitiosè negantes fideiussionem (a) 2. Si fidejssores hoc remedium ex epist. Divi Hadriani omiserint, ac id Creditori, justo & à legibus statuto tempore, non objecerint (b) 3. Fidejssores, qui huic beneficio expressè renunciaverunt (c) 4. fidejssores, qui in partes viriles tantum, nec in solidum se obstrinxerunt (d) 5. Si quis confidejssorum vel propter pupillarem ætatem (e) vel propter sexum (f) non sit aptus, ad sese obligandum.

6. Si



6. Si confidejussores litis contestatæ tempore (g) sint in confesso pauperes, & non solvendo, (h) 7. Qui pro tutore rem pupilli salvam fore fidem suam interposuerunt, (i) 8. qui pro eadem quidem personâ, non tamen pro eadem obligatione fidejusserunt, (k) 9. Confidejussor mulieris, (l) 10. qui cum minore 25. annis pro alio simul fatiscauit, (m) & 11. Non procedit in fidejussore fidejussoris, & ipso fidejussore Principali, Hic enim respectu illius habetur pro Reo principali, inter hunc verò & fidejussorem nullam divisionem locum mereri, notum est. (n)

(a) per expressum textum in l. si dubitet. 10. §. 1. in pr. ff. de fidej. & mandat. nam cogitur fidejussor, ita mendacij convictus, in ejus poenam totam perfolvere summam Sichard. ad l. 10. C. h. t. n. 8.

(b) §. 4. ibi: & sibi imputare debet. 1. de fidej. arg. l. 10. §. 1. C. eod. cum actio & obligatio non ipso jure, sed ope exceptionis dividatur, Gail lib. 2. Observ. 27. num. 5. aut si fidejussores præsentis beneficio non utendo, ipsimet ad solutionem properaverint, arg. l. 39. ff. h. t. & l. 2. C. de his qua vi metusve causa gest. tùm enim adversus istud frustra querelarentur.

(c) per Authent. Hoc ita. C. de duobus Reis stip. ibi: sin autem non convenerint specialiter, ex æquo sustinebunt onus Carpzov. in Jurispr. civil. constit. 17. definit. 2. per tot.

(d) juxta legem § 1. in pr. ff. h. t. de fidejussor.

(e) C. I. A. lib. 46. tit. 1. th. 27. n. 4.

(f) uti est mulier, juxta SCtum Vellej. & l. 48. in pr. ff. eod. Amplissimus Dn. Præses, in Aureis juris Civil. sect. 4. th. 73. sub not. M. n. 4.

(g) & sic antè factam divisionem, secus eâ peractâ, nam tunc Creditor periculum in se ipsum derivat. l. 51. §. cum inter. 4. ff. de fidej.

(h) §. 4. l. 26. ff. l. 3. C. h. t. quod si verò Creditor simpliciter duntaxat aliquem convenerit, propterea ipsi adversus cæteros confidejussores minimè præjudicium fit, sed remanent actiones, tam personales,



sonales, quàm hypothecariæ, integræ, donec per omnia ei satisfactum sit, textus est in l. 28. C. h. t.

(i) l. ult. ff. rem pupill. vel adolesc. salv. Ratio est favor pupillorum, ne scilicet hi, ex unâ tutelæ causâ, in plures ac diversos iudices vel adversarios distringantur. l. 2. ff. de exercit. action. l. 27 §. 8. ff. de pecul. sunt igitur tales fidejussores in hoc deteriore loco alijs constituti, quod beneficium divisionis pupillo objicere nequeant, nisi ex personâ & causâ tutorum, pro quibus fidejusserunt, juxta l. 6. & 7. ff. de fidejussor. tur. Wesenb. ibidem vid. omninò C. I. A. lib. 27. t. 7. th. 6. in princ.

(k) arg. l. 43. ff. de fidej.

(l) per l. 48. pr. ff. h. t.

(m) arg. l. 2. §. 15. ff. pro emptor. debuisset enim accuratius in conditionem minoris inquirere, ne postea totum ipsi irrogaretur debitum, d. l. si Titius. 48. §. 1. ff. h. t. secus si dolo creditoris ad confidejubendum inductus est, nam tum ea portio cedit damno creditoris d. l. 48. §. 1. ibi: sed ita ff. h. t.

(n) ex l. 27. §. 4. fin. ff. de fidej.

#### THESIS XXVII.

Materia  
Divisionis.

Materia, quæ sub hoc Divisionis beneficio continetur, est ipsa obligatio, quam fidejussores pro Principali debitore inierunt, pro quotâ & portionibus virilibus, inter ipsos dividenda.

l. 26. & l. 27. §. ult. ff. de fidej.

#### THESIS XXVIII.

Forma  
ejusdem.

Forma in eo consistit, ut beneficium Divisionis, antè litis contestationem, (a) non verò post pronunciatam à Judice sententiam definitivâ (b) multò minus, post rem judicatam (b) Creditori objiciatur, cum hæc Divisio non ipso jure, sed solummodò ope exceptionis, (quemadmodum præced. th. dictum est) fidejussori competat. (d)

(a) l. 10. C. h. t. ubi vide Sichard. n. 10. 11. 12. conf. C. I. A. lib. 46. §. 1. th. 30.

(b) arg.





- (b) *arg. d. l. 10. §. 1. ibi: ante condemnationem C. h. r.*
- (c) *l. 56. ff. de Re judic. l. Gracè. 8. §. 3. ff. hic.*
- (d) *arg. l. 11. C. eod. Proindè ea proponi & allegari debet, nam omiſſa nihil operatur. ſed fit condemnatio in ſolidum, Gail lib. 2. Obſerv. 46. n. 18.*

THESIS XXIX.

Finis prædicti Divisionis beneficij à laudatiſſimo Imperatorum Hadriano introducti, hic eſt, ut poſt factam à fidejuffore oppoſitionem, Creditor debitum pro ratâ ſivè partibus virilibus ab omnibus confidejufforibus, tempore litis conteſtatae ſolvendo exiſtentibus, petere, ſicque obligationem inter eoſdem dividere, (quod effectus loco ponimus) cogatur.

*Finis beneficij Divisionis.*

*Effectus ejusdem.*

*d. §. 4. l. 1. & arg. l. 51. §. 4. ff. h. r.*

THESIS XXX.

Tertium & ultimum Fidejufforibus competens beneficium Cedendarum actionum nominatur (a) quod vocabulum Cedere, in jure Civili multas recipit ſignificationes, Nos eo denotamus, quod actiones cedere, idem ſit, quaſi præſtare ſuas actiones. (b)

*Beneficij Cedendarum actionum.*

*Quid vocabulum Cedere hic denotet.*

(a) *arg. l. 17. l. 36. l. 39. ff. de fidej. Cùm enim æquitas, tanquàm Regina juris, & certiffima veritatis legalis norma, ſuaderet, ut ei, qui propter inopiam ſui confidejufforis, aut indigentiam Rei principalis, poſtea fortè adpinguiorem fortunam redeuntis, ſolus debi. ori ſatiſſeſſet, viciffim ſuccurratur, Ideoque hujus intuitu, prænominatum beneficium illi datum eſt, ut creditor actiones ſibi contra fidejufforem competentes, ſolventi fidejuffori rurfus cedat ad recuperandum id, quod ſolvit. l. 11. C. eod.*

(b) *arg. l. 3. §. 5. ff. de in rem verſo, & l. 12. ff. de Re judicata &c.*

E THE-





*Descriptio  
beneficij  
Cedendarum  
actionum.*

Est itaque beneficium Cedendarum Actionum exceptio, quâ fidejussori, ex pluribus debito satisfaciendi, Creditorem ad id compellere permissum est, ut actiones, quas contra Reum Principalem, & confideiussores antè solutionem habebat, sibi cedat, ad repetendum id, quod alieno nomine persolvit.

Nisi enim ei, qui solus totum exsolvit, à Creditore cessæ sint actiones, tam Personales, quàm Reales. Sichardus *ad l. 2. C. h. t. num. 9.* nec Reus Principalis, nec cæteri fidejussores rectè convenientur. *l. 39. ff. de fidejussor. 10. C. de fidejuss. & mandat.*

## THESIS XXXII.

*Quibus id  
attribua-  
tur.*

Personæ, quibus hoc beneficium attribuitur, sunt in genere omnes fidejussores, parati pro debitore Principali, & cæteris confidejussoribus debitum Creditori in solidum persolvere.

*juxta l. 41. §. 1. ff. de fidejussor.*

## THESIS XXXIII.

*Quibus de-  
negetur.*

Illud verò denegatur 1. Istis Fidejussoribus, qui cessionem actionum à Creditore post peractam demùm solutionem petere instant, (a)  
2. qui huic beneficio expressè renunciaverunt (b)  
3. Si qui falsò obligationem suam negaverint. (c)  
4. Si pater filio pecuniam credi jusserit. Plures alios casus vid. apud alios, & partim in antecedentibus relatos.

(a) *l. 76. ff. de solutione.*

(b) *arg.*



102

(b) *arg. l. penult. C. de pact. generalis enim renunciatio non excludit hoc beneficium sed sola nominata, Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 29. hujus renunciationis effectus est, quod Creditor ad consequendum suum debitum citius agere possit, ne illius objectione executio repentinæ solutionis, per faciendam primùm cessionem actionum, differatur aut retardetur*

(c) *arg. l. 10. §. 1. ff. de fidejussor.*

THESIS XXXIV.

Materia quæ sub hoc beneficium cadit, sunt quælibet actiones, cum omnibus suis qualitatibus, quibus Creditor adversus Reum Principalem & confidejussores, antè solutionem utebatur (a) Item hypothecæ & pignora, si quæ possederit. (b)

*Materia Cedendarum actionum.*

(a) *arg. l. 13. ff. de fidejussor.*

(b) *l. 14. ibi: Pignora enim quæ reo stipulandi nexa fuerunt, ita demùm ad vos transeunt, si facta nominis redemptione, solutio celebrata est, vobisque mandata sunt actiones, facit l. 21. C. h. t.*

THESIS XXXV.

Forma Cedendarum Actionum id præcipuè respicit, ut fidejussor antè solutionem, vel in ipso solutionis actu, de cedendis sibi actionibus, coràm Creditore expressè protestetur (a) aut si is eas cedere recuset, per officium judicis, (quod summa dicitur necessitas,) ad cessionem faciendam eum compellat (b) cùm, facta solutione, nisi actiones Creditori competentes solidum solventi, denudò sint cessæ, fidejussor de toto debito, à se bonâ fide exoluto, periclitetur, & partem restantem à confidejssoribus jure repetere nequeat, quippè

*Forma hujus beneficii.*

ctio-  
debi-  
e per-  
Prin-  
n ha-  
ieno  
  
t actio.  
9. nec  
32. ff. l.  
  
itur,  
de-  
s de-  
  
ous,  
per-  
(a)  
t (b)  
t. (c)  
ures  
len-  
  
arg.





301  
qui non cum iis, sed cum Creditore, contraxit (c)  
Si verò is actiones cedere non valeat, neque ipsi  
contrâ fideiussorem actio danda est, propter ex-  
ceptionem, quâ à suo postulato submovetur. (d)  
Hoc cedendarum actionum beneficium, tam  
post litem contestatam, (e) quàm post sententiam  
definitivam, modò solutio nondû sit perfecta, (f)  
opponi potest. Notandum autem, quod necesse  
sit Cessionis actionum in Chirographo expressè  
factam esse mentionem, si ea legitimè peracta di-  
ci debeat, nam solum debiti instrumentum, fide-  
jussori insinuatum, & sola apocha persolutionis  
non sufficit, nec cessionem actionum probat, sed  
cessio allegari & probari debet, atque ità simul in-  
strumenta originalia à Creditore, de consensu ex-  
presso vel tacito fidejussori tradita, ostendi. (g)

(a) propter textum inevitabilem in l. 36. & 39. ff. l. 11. & 21. C.  
de fidejuss. Wesenbec. in parat. ff. ibidem. n. fin.

(b) l. 17. ff. eod.

(c) arg. d. l. 39. ff. h. t.

(d) arg. l. 167. ff. de R. I.

(e) C. I. A. l. 46. t. 1. th. 36. n. 1.

(f) per l. 41. §. 1. ff. eod.

(g) Petrus Heigius parte, 1. quest. 38. n. 53.

#### THESIS XXXVI.

*Finis Ce-  
dendarum  
actionum  
beneficij.*

Finis est, ne ob fidejussoris interpositam fi-  
dem ejus conditio deterior reddatur, sed hic, aut  
debitorem Principalem, aut confidejussores re-  
con-



convenire, ab ijsque solutum commodè repetere possit.

*l. 27. §. fin. ff. mandat. Amplissimus & Consultiss. Dominus Præses in Rebus suis quotidianis sect. 4. th. 74.*

THESIS XXXVII.

Cessione actionum legitimè à creditore expeditâ, fideiussor absque omni cunctatione, eidem satisfacere obstrictus est (a) Cæteri verò confideiussores, non in solidum, sed duntaxat quilibet eorum pro suâ quotâ solventi fideiussori obligati permanent, ita ut ille, qui solvit, suam portionem detrahere cogatur, das derselbe welcher den glaubiger befriedigt hat / seinen antheil Bürgers schuld mit zu rechnen / vnd davon abzuziehen / verbunden ist. (b)

*Effectus benef. Ced. actionum.*

(a) *arg. l. 21. C. h. t. nost. de fidejussor.*

(b) *arg. l. 38. ff. de administr. & eric. tut. quod æquitati est consentaneum, ne melioris sit conditionis, quàm confidejussor. C. I. A. lib. 46. r. 1. th. 37.*

THESIS XXXVIII.

Pro complemento hujus Disputationis haud extrâ rhombum quæstionem sequentem pertransennam quasi ventilare placuit: An scilicet Rescripta moratoria (a) Debitori Principali, novercales fortunæ insultus sustinenti (b) indulta, etiam fidejussoribus ejus (c) competant? Et Respondemus affirmativè, Quia Reus Principalis, secundum naturam Novellæ 4. c. 1. antè fidejussorem

*Rescripta moratoriâ an ad fidejussores etiam sint trahendâ*





301  
rem est conveniendus & excutiendus, ea autem excussio, vigore concessarum induciarum moratoriarum instituta dici nequit, utique nec fidejussores inquietari poterunt, cum tum demum creditori ad eos regressus detur, quando Principalis est excussus, & non solvendo exstitit, quod hoc casu minimè dicendum, cum inquisitio in facultates debitoris nondum sit facta, ad hæc Imperatorum mos non sit beneficia in cujusquam injuriam tribuere, quod hic sanè fieret, si fidejussor prius, quam ejus Principalis, veniret excutiendus, contra *d. Nov. 4. c. 1.* Insuper etiam in Jure Civili expressè decisum reperiamus, quod laxamentum temporis Principali datum quoque ad fidejussores ejus extendi debeat (d) Et quod exceptiones, quibus Reus Principalis munitus est, Intercessoribus etiam concedantur (e) Præsertim si propter Rei negotiique naturam sint datæ, talia enim Privilegia, quæ rei adhærent, sunt transitoria ad fidejussores (f) igitur æquum est, aliquo modo ijs consultum esse, ne alijs prodesse studendo, mergantur. (g)

(a) Seu literæ Quinquennales, germanicè *Anstandsbrieff* auff gewisse Zeit zu zahlen.

(b) fraudulentis enim decoctoribus & dilapidatoribus tales moratoriaræ non conceduntur, juxta Recessum Imper. de anno 1548. §. Von verdorbenen Kauffleuten/versic. Vnd nach dem Sie zu setzen. ibi: So meinen Wir hiemit ernstlich vnd wollen / das ihnen (subintellige debitores) solche



solche moratoria oder quinquenel hinsüro nicht mehr gegeben werden sol-  
len/ Wir oder vnser Nachkommene Römische Kayser oder Könige seyen  
dann von der Obrigkeit / darunder solche verdorbene oder auffgestandene  
Rauffteut gefessen/ zuvor eygentlich berichtet vnd vergewissert / daß sie auß  
vnersehenen zugestandenen Vnsfällen ihrer Leib oder Güter verdorben zc.

(c) his, qui antè inducias moratorias Obligacioni Principali  
acceserunt.

(d) per l. 3. §. 1. C. de usur. rei iudic. quo & facit l. 27. §. 1. de  
pactis.

(e) per l. 19. ff. de exception.

(f) juxta l. 11. C. de except.

(g) arg. l. 62. ff. de edil. edict. l. 50. ff. de Re iudicata.

THESIS XXXIX.

Paucis hisce expositis, quæ Fideiussionis con-  
tractus ineatur ac celebretur, nunc ut de ijs vi-  
deamus, quæ eundem rursus tollunt atque di-  
ruunt, superest, quod plerumque sequentibus fit  
modis. 1. Reali factâ numeratione ejus, quod in  
obligationem deductum est, (a) vel ab ipso debi-  
tore, vel à fideiussore, (b) 2. Propter Fideiussoris  
magnam inopiam ac insignem calamitatem. (c)  
3. Si illud, quodcunque sibi quis stipulatus est, in  
rebus humanis (d) sine culpa tamen debitoris Prin-  
cipalis & fideiussoris, esse desierit (e) 4. Novatio-  
ne legitimè peractâ, si quid in posteriori stipula-  
tione novi adiiciatur (f) 5. Conditione ali-  
quâ obligationi adjectâ, eâque postea existente,  
nam id quod alicubi deberi cœpit, etiam certis  
modis desinere debere potest, (g) si igitur fideiuf-  
sor se pro debitore non simpliciter, sed conditio-  
nali-

Fideiussio-  
nis Contra-  
ctus qui  
dissolva-  
tur.

ntern  
mora-  
lejus-  
n cre-  
ipalis  
hoc  
acul-  
mpe-  
m in-  
uffor  
ndus,  
Civili  
ntum  
uffo-  
ones,  
ffori-  
er Rei  
Privi-  
lejus-  
con-  
gan-  
ieff auff  
les mo-  
s. Don  
Somel-  
itores)  
solche





401  
naliter, v. g. ad certum tempus obligaverit, tem-  
pore hoc præterlapso, liberabitur (h) 6. Accepti-  
latione: hæc enim quoque solutionis verbo con-  
tinetur (i) & nihil refert utrum Reo Principali (k)  
an fideiussori (l) acceptum latum sit 7. Confusio-  
ne: cum scil. debitor suo creditori heres existit, &  
vice versâ (m) vel cum debitor in bona fideiusso-  
ris succedit (n) & econtra (o) 8. Delegatione: quæ  
fit cum Reus Principalis alium Creditori debito-  
rem in suam vicem constituit & delegat (p) hæc  
delegatio solutionis loco habetur (q) 9. Si credi-  
tor fideiussori donationis causâ obligationem  
remiserit (r) 10. Si debitor juramento affirmave-  
rit, pecuniam sibi non esse creditam (s) iusiuran-  
dum enim loco solutionis cedit (t) 11. Pacto inito  
de non petendo (u) vel expressè vel tacitè. (x)

(a) l. 37. & 49. ff. de solut. & liberat. quod omni caret controver-  
siâ, cum ridiculum sit, de vadimonio disputare velle, finito negotio.  
Wesemb. in parat. ff. si quis cautionibus iudicio sist. n. 3.

(b) pr. l. quibus modis tollitur obligatio. ibi: item Reus.

(c) arg. l. 10. §. 1. in fin. ff. qui satisd. cogant. l. 4. ff. Ut in possess.  
legator.

(d) arg. l. 34. in fin. ff. de fidej.

(e) arg. l. 19. in fin. ff. de dolo malo. l. 23. ff. de Verb. Oblig. facit l.  
107. ff. de solut. nam damnum eum duntaxat sequitur, cujus facto res  
in stipulationem deducta interempta est, hinc si fidejussor hominem  
occiderit, Reus principalis liberatur l. 88. l. 91. §. 4 ff. de V. O.

(f) §. 3. l. quib. mod. toll. oblig. l. 4. C. de fidejussor. debet verò no-  
vatio ita fieri, ut de animo novandi certò constet. l. 2. in fin. ff. de novat.  
nam hodiè ea non committitur, nisi hoc expressè actum sit, l. fin. C. de  
novat.



novat. & delegation. ad hanc autem non pertinet hic casus, ubi quis primo Iudice, coram quo fidejussor de iudicato solvendo datus est, recedat ad alium, nam huius iudicis sententiæ fidejussor se non subdidit per l. 3. in pr. ff. iudic. solv. liberabitur ergo quoad posteriorem, Marsil. in tract. de fidejussor. n. 90.

- (g) juxta l. 44. §. 1. ff. de O. & A.
- (h) d. l. 44. §. 1. ibi: planè post tempus stipulator, vel pacti conventi, vel doli mali exceptione summoventi poterit ff. de O. & Act.
- (i) quod probat arg. l. 54. ff. de solu. & liberat. cum solutionis exemplo acceptilatio soleat liberare, l. 5. ff. de acceptilat.
- (k) arg. l. 7. §. 1. ff. de except.
- (l) l. 13. §. 7. ff. de acceptilat.
- (m) l. 14. ff. de fidej. l. 93. §. ult. ff. de solution.
- (n) l. 38. §. fin. ff. de solution.
- (o) l. 5. ff. de fidejussor. sed hinc accessoria solummodò perimitur obligatio, principalis verò remanet. l. 14. ff. de fidejussor. nec hoc procedit, quando fidejussor creditori, aut creditor fidejussori succedit, nam tum etiam procul dubio sola fidejussoris obligatio perimitur. l. 21. §. 3. ff. h. r.
- (p) l. 11. ff. de novation.
- (q) per l. 8. §. 3. ff. ad senatuscons. Vellejan.
- (r) l. 10. §. 13. l. seq. 11. ff. mandat.
- (s) secund. l. 28. §. 1. l. ult. §. 3. ff. de jurej. non tamen ipso jure, sed ope exceptionis.
- (t) l. 27. ff. de jurejurando.
- (u) l. fin. ff. de pact.
- (x) l. 2. §. 1. ff. de pact. quibus de nobilissimâ hâc & usitatissimâ Fidejussorum materiâ plura pernoscere ac scire volupe est, eos ad Hering. hanc mater. præcæteris ex professo tractantem, Frantz. Hippolytum de Marsilijs aliosque remitto, ex quorum scriptis ea, quæ desiderant, uberius haurire poterunt, nobis pro instituti ratione præsentia in medium attulisse sufficiat, proinde cœptam telam hinc abrumpimus, & in nomine Jesu, sinè quo nullius est felix conatus & exitus unquam, finimus, Cui soli sit laus & honor in æternum.

Hic teneat nostras anchora firma rates.

F Sudo-





257  
Sudoris quicquid, quicquid pretij atq; laboris  
Nunc credis Themidi, hoc esse fide jubeo  
Nostrâ; Splendoris nisi quicquid, quicquid honoris  
Continet, in solidum solverit illa tibi;  
Usurasq; nisi Te condicente parârit  
Reddere legitimas quando dies veniet.  
Quæ jamdum cessit: veniet cum veneris ipse.  
Weveser ad patrios sospes Amice Lares.

Ita Domino Respondenti de  
Themidis solutione fide-  
jebet

Caspar Friderich Kempendorff





is  
co  
oris

orff







O

C.

PF





X 2615934

WOM









I. N. S. & I. T.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
FIDEIUSSORIBUS,  
EORUMQUE BE-  
NEFICIIS.

*Quam*  
Divina favente Clementia *Disputa 1.*

PRAESIDENTE

VIRO

AMPLISSIMO CONSULTISSIMO ET EX-  
CELLENTISSIMO,

DN. GREGORIO BICCIO, U. J. D.  
LONGE CELEBERRIMO, AC IN FLOREN-  
tissima Argentoratensium Universitate Pandectarum Pro-  
fessore gravissimo meritissimoque, Praeceptore & Hospite suo  
omni ob servantiae cultu aetatem prosequendo,

Publici Exercitij gratia,

*Placida commilitonum disquisitioni submittit*

JACOBUS WEVITZER, STRALSUNDA POMERANUS.

*In Auditorio Ictorum*

Ad diem 6. Majis.

OS:(O):SO

ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. L.

175.

17

1650, 3.

